EXPLICATIO CEREMONIARUM

AC MYSTERIORUM LITURGIAE GRAECI RITUS

OPUSCULUM

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. GABRIELIS DEMARCHIS

EPISCOPI TIBERIOPOLITANI

COLLEGII ITALO-GRAECI IN CALABRIA PRAESIDIS.



NEAPOLI,
Apud Ferdinandum Raimondi
MDCCCXXXVII.

PRAEFATIO

GABRIEL DEMARCHIS

EPISCOPUS TIBERIOPOLITANUS

Alumnis Collegii Italo-Graeci S. Adriani Salutem, et Pastoralem Benedictionem.

Vix ad Regimen, Officiumq. Praesidis hujus Venerabilis Collegii Italo-Graeci pervenimus, nullo merito nostro, sed singulari munificentia Serenissimi Regis Ferdinandi II. (quem Deus semper sospitem, incolumemq. servet.) illico omnes cogitatus, cunctamq. sollicitudinem ad vestrum profectum, atq. invamen, Humanissimi Juvenes, convertere duximus. Neq. tantummodo humanis, amaenisq. Literis; Graecae, Latinaeq. Linguae Studio, aliisque Superioribus Disciplinis; sed quod majus, magisq. praecipuum est, Moralis, ac Religionis praeceptis mentes vestras imbuere satagimus, ac in Divi satagere studemus. Hinc est quod hoc opusculum, quo strictim, brevi faciliq. methodo, Ritus, Ceremoniae mysteria Sacrae Nostrae Liturgiae enucleantur, Vobis offerre, ac typis edere curavimus. Tandem quam maxima Cordis nostri effusione valemus, Pastoralem Benedictionem Vobis impartimur. Valete.

Datum S. Adriani die Martii 1837.

EXPLICATIO CEREMONIARUM LITURGIAE GRAECAE SECUNDUM EARUM SIGNIFICATIONES, E MISTAGOG. S. GERMANI, ET SYMEONIS THESSALONN. EXCEPTA.

Missa a Graecis. Liturgia, Mystagogia, et Jerurgia appellatur.

Liturgia ministerium, et obsequium publicum indicat, Mystagogia significat mysterium scilicet, quae mentem ad Dei recondita secreta sublevat percipienda, et Jerurgia sacrificium donotat.

Graeci sacrum celebrant in tertia diei hora, utpote hac hora descendit in Apostolos Spiritus Paraclitus, ut notat Matthaeus Blasta res: Hoc diei momento » Paraclitus manifesto in Discipulos » adveniens, de triplici perfectoque lumine eos » perfecte erudiens, simul et nos univoca San- » ctae Trinitati hora, tripersonae Deitati Sacri- » ficium perfectum consecrare, per istius modi » liquido edocuit ».

De Vestibus Sacris.

Diaconi Tunica a Graecis dicitur στοιχάριον, cum recta sit, et in longum protensa quasi *uno tractu*; sticharium asticho seu versu, vel ab uno

quasi lineae ordine nuncupata. Haec autem candida esse debet, ut ajunt S. Germanus Sym., et Naz. qui sic cecinit.

Ministri autem in splendidis vestibus Adstabant, Fulgoris Angelici Immagines. Quando vero rubra est, indicium luctus est. Significat vero, primo puritatem Angelicam, quam Diaconus habere oportet, denuo indicat vestem albam Christo impositam ab Herode convicii causa.

Etiam Diaconi interest Orarium juxta Can. 22. Concilii Laudicaeni.

Haec vox Orarium a verbo Graeco ὀρῶ, quod est custodio, observo, ortum duxit, eo quod Diaconus accepta stolae extremitate, tribus digitis invitat populum ad orandum, cantores ad Psallendum, Pontifices ad incipiendum sacrum, et in summa ostendit horas, atque indicat tempus, quo aliquid est faciendum. Significat autem haec stola Diaconica quasi alas propter materiae desaecationem, et intellectualem substantiam Angelici ordinis. Quare et Cherubim facies suas obvelantia, Diaconus imitaturus, et ipse cum sacramentum percepturus est, stola ad corpus succingitur. Sed et in ea Ἅγιος ἅγιος, scriptum ostentat, quae ministratorius Angelorum ordo exprimitur.

Et Sacerdos induit tunicam, quae est candida, manifestans Deitatis fulgorem, et Sacerdotis mundam conversationem; refert quoque purum, et incontaminatum Sacerdotis ordinis statum.

Brachialia et Diaconus, et Sacerdos induit. Soluta illa gerunt Graeci, et fune serico per illorum oras transversim acto, brachiis strictius alligant, ut Christi vincula, ministri tolerantiam, ejusque animum vigilem significent.

Balsamon 37 ad Marci Monachi interrogata dicit. Brachialia notae sunt, et signa vinculorum manibus Domini, et Dei N. I. C. implicatorum, cum ad passionem voluntariam abduceretur Sym. manuum Salvatoris vincula, quibus ligatus ad Pilatum ducebatur, ajunt quidem Brachialia figurare.

Sacerdos utitur stola Graece dicta ἐπιτραχήλιον differente ab Orario Diaconi, quia haec nullis litterarum notis conspicua est, et ante pectus juncta a Sacerdote defertur, cum ex adverso solutum sit, et volitans orarium, et verbo ἅγιος ter picto inscriptum. Stola haec autem sanctificativam caelitus descendentem Spiritus exhibet gratiam: propter hoc enim Pontifex, et Sacerdos in caput illam immittens, Benedictus Deus ait, qui super sacerdotes suos gratiam effundit. Quilibet idcirco Sacerdos illam in omni sacra actione assumit.

Tunicam simul, et Stolam *Zona* Sacerdos astringit. Supergenuale Antistitum ornamentum est. Istud est forma quadrangolaris palmi, et dimidiis ex unoquoque latere, et e Zona gestatur appensum, Symeon ait. Pontifex a zona dependens supergenuale fert, quod victoriam adversus mortem, nostraeque naturae Immortalitatem, et robur Dei contra maligni Daemonis tyrannidem validissimum ostendit. Quamobrem et romphicae similis est, et alligatur lumbis, ubi hominis vires sitas praedicant. Adverte hoc ornamentum convenire (1) syncello magnae Ecclesiae, et cuivis alio habenti dignitatem aliquam. Sacerdotis celebrantis ultima vestis est Phelonium, quae interpretatur Casula, seu Planeta. Inferiores Pontifices idest Episcopi Casula crucibus undique plena induuntur; metropolitae enim Saccum deferunt, tritusque idcirco sermo multi Crucium eam vocat, et Passionis Salvatoris signum est hocque dare docet Pontificem imitare Eum, qui per Passionem, et Crucem veram justitiam consumavit.

Est tamen et alia vestis. qua Pontifices reliquos dignitate precedentes, ornati celebrant.

(1) Protosyn cellus est supremus inter honoratissimos Ecclesiae C. P. titulos latine Primus Caneellaneorum significat.

Saccus illa dicitur, et est Colobium, tunica sine manicis, et omnino talaris. Simeon in primis Saccum, quo per ludibrium Salvator indutus est, monstrat: idcirco et sacci formam habet: nec in eo sunt, quae appellantur manicae. Manifestius vero hoc exibet, quo digniores Pontifices vestiuntur, et Saccus dicitur. Hoc idem Pontificio ostenditur mandija, et flumina quidem habet. Propter eaquae diximus: Pocula vero pro typo veteris, et novae gratiae. Quid sibi volunt alba Pontificis ornamenta, et quid rubra Quadragesimae denotant?

Alba sunt illa propter gratiae puritatem et Lucem. Saepius autem jejuniorum tempore assumuntur purpurea, eo quod peccatores oporteat lugere, et propter occisum pro nobis Jesum Christum.

Preparatio Sacrorum Donorum in mensa Propositionis, et Primum Offertorium.

Graeci in sinixtra parte Altaris Altarinum habent, qui est Mensa, in qua sacra dona primo immolanda proponuntur, et priusquam in altari consacranda deponantur primam hic Sanctificationem precibus Sacerdotis, et sacro ritu circa Ea

peracto, assumunt. Haec mensa Graece Prothesis vocatur. Loti ante vestium sumptione Sacerdos, et Diaconus, iterum hic manus lavant: cujus consuetudinis moralem caussam assignat Cyrillus Hieros. cathec. S. Mystag.

Hinc Sacerdos post manuum ablutionem sanctum Discum accipit, qui correspondet patenae Latinorum, et est illud vas in quo Graeci sacrum panem reponunt. Graeci autem panem, et vinum in Prothesi non in longum coram se, sed in transversum ordinant, et significat: quod est in Calice, id quod e latere fluxit. Chrys. hom. 24. Deinde faciunt tres adorationes, seu incurvationes. Posthac Sacerdos accipit in manu *Oblatam*, quae est panis fermentatus in mediocris placentae modum. Dicitur oblata intuitu vel praesentis oblationis, vel futurae consecrationis, ad quam destinatur.

Habent Graeci Cultellum deputatum separandae hostiae a tota panis massa, et lancea dicitur. Et cum lanceae figuram habeat, vice illius, quae latus Domini effodit, sacrificio admovetur.

Oblata vero sigillum, quod Crucis effigies est, impressum habet. Habet etiam impressa haec verba Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ Jesus Christus vincit. Ab excitatis quippe tribus Crucibus a Costantino in regia

urbe, quarum prima gerebat inscriptum, *Jesus*, secunda, *Christus*, tertia tandem *vincit* ; et significat Costantinum hoc signo Crucis vicisse.

In oblationis limine, a qua praeparationis. Liturgiae ducitur initium, memoriam Christi ob oculos sibi ponit Sacerdos Graecus, velut et Latinus in offertorio. Atque ita in hac sacra actione velut Immago est unius corporis, totam Salvatoris inter homines conversationem continens, omnesque ejus partes inter se connexas, et aptatas sub aspectum subiciens, et repraesentans.

Cum prima panis, et vini in Prothesi oblatio Christi vitae exordium, et primam inter homines Conversationem adumbret, scribit German:

Deponitur divinum Corpus in Propositionis mensa sicut in Bethlem, ubi natus est Christus, simul autem ; sicut et in Nazareth. Adde quod et ejus in Capharnaum habitationis propositionis mensa locum adimplet.

Simul ac a Sacerdote excinditur hostia, Diaconus stola arrepta Misterium intuitus, quasi alter praecursor viam substernit Domino, et ad orationem hortatur, quasi diceret : Ecce Agnus Dei. (Germanus) et Angelum imitatur, qui Virgini Ave pronunciavit. Oblata, quae et panis est,

a quo Dominicum corpus excinditur, in typum semper Virginis et Deiparae sumitur.

Et Dominicum corpus tamquam e quodam utero, et carne Corporis Virginalis, toto pane inquam, benedictionis, et oblatae dividitur.

Panis sive hostia, Christi velut Agni Immolandi vices, nomenque sustinet et ut mactetur crusta inversa mica sursum spectante, indisco velut Agnus supinus, ictum praestolans, extenditur.

Hinc Diaconus Sacerdoti dicit *Immola Domine*: Cabasilas dicit.

Sacerdos illa videtur facere, quae de illo novit sacrificio . . . . propemodum dicens. Ita venit ad Passionem Dominus, ita mortuus est, ita in latere punctus est, ita et a latere effosso sanguis, et aqua sunt effusa. Propterea etiam ferriculum, quod percutit vocat lanceam, et est ad instar lanceae cusum.

Graeci in Prothesi plures panes, seu particulas offerunt Deo, in honorem Deiparae, aliorumque sanctorum, et has particulas προσφορὰς appellant hocque fit in memoriam sacrificiorum oblatorum in *gratiarum actionem*, quae sacrificia vocabantur eucharistica, in memoriam sacrificii propitiatoriis, honorarii, holocaustii. ec. His itaque finibus, et effectis tam variis, uno sacrificio significandis,

excogitarunt Sancti Patres Particularum multitudinem. Impositis enim sacrò altari venerandis symbolis per quae Christus designatur, et participatur, adest statim Sanctorum enumeratio, et descriptio, conjunctionem eorum declarans cum sancta, et supramundana ad Christum unione, Justorum et peccatorum memoriam agimus. Pro peccatoribus quidem rogamus, misericordiam Dei implorantes: pro Justis, Martiribus, Confessoribus, ac Episcopis, et Anachoretis, et pro universo ordine, ut Dominum Jesum Christum ab hominibus separemus, per honorem quem ei exhibemus. Post factam hanc oblationem, statim incensum adoletur. Et significat hoc fieri in Divini operis gratiarum actionem, ad Spiritus Sancti operationem et adventum advocandum, quod et testatur oratio dicens: Incensum tibi offerimus Christe Deus in odorem suavitatis spiritualis.

Tribus velis sacra contegunt Graeci: primum vocatur Discocalimma, eo quod discum tegit; secundum est illud, quod Calicem tegit, et tertium vocatur Aer, quia per modum Aeris circa terram expansi sacra dona ambit. S. Germ. symbolicam rationem refert.

Superius disci velamen sindonem, qua involverunt Corpus Domini, disci velamentum vices agit

sudarii faciem tegentis in Sepulcro. Velum aliud sive Aer est, et tenere dicitur locum lapidis, quo munivit Joseph monumentum, quod obsignavit custodiae tabella. Et statim Thuribulum subindicat humanitatem Christi, ignis Divinitatem. Incensum autem repraesentat aromata illa, quae Domino sepeliendo offerebant. Post haec vero omnia, Sacerdos, scilicet velaverit sacra dona dimissionem facit.

Ingressus ad Altare Sac: et Diac:

Facta Dimissione: incipit Diaconus incenso suffumigare altare ad modum Crucis, ut expiet Ecclesiam, et fideles; et daemones repellat e loco Sacro, incipitur enim sacrificium.

Deinde Sacerdos, et Diaconi, qui soli in Tribunali, et in altari permanent inclinationes faciunt Deo, et inde Evangelium altaris medio perpetuo accumbens, Christum regem throno insidentem manifestat, et Sacerdos primo ad altare appulsu, in Evangelio Christum veneratur, dum illud osculatur.

Diaconus vero tribus digitis stolam tenens, et altare indicans Divinum, et tremendum sacrificii mysterium, ut Sacerdos aggrediatur admonet, ei

dicens. Tempus est faciendi Domino. Et Sacerdos incipit: Benedictum sit Regnum Dei Patris. Dicit hic S. Germanus. Cujus gratia Trinitatem in Deo celebrat, et non unitatem? ipse respondet. Quia primum per Christi Incarnationem didicerunt homines, quod tres personae Deus est: hujus autem Domini Incarnationis secreta, et sancta Documenta exhibent, sacra quae celebrantur.

Hinc Diaconi egrediuntur e Tribunali, et Pacifica canunt, seu orationes pacem petentes a Deo, quibus peractis dicuntur Antiphonae.

De duobus Graecorum Introitibus, et de tribus Hymnis Angelico, Tersancto, et Cherubico.

Completis tribus Antiphonis statim fit Introitus parvus hoc modo: Sacerdos Diacono tradit Evangeliorum librum, et egrediuntur a porta Prothesis, et Diaconus elevatum ante faciem librum Evangelii defert, subsequente Sacerdote viam illam, sinuosam tenet ante Tribunal, qua peragrata ante sacras fores sistunt. Et Diaconus intonat: Sapientia recte, et simul cum Sacerdote ingreditur in Tribunal, sacrumque Evangelium in altari deponit: Clerus vero, et Cantores, Chorusque dicit. Venite adoremus et procedamus Christo etc.

Haecque intruductio secundum S.Germ.significat, adventum Filii Dei in terram ; ita dicit. Introitus Evangelii adventum indicat Filii Dei, et ingressum Ejus in hunc mundum, ut ait Apostolis; cum induxerit nimirum Deus, et Pater primogenitum, et unigenitum in Orbem, ait. Adorent Eum omnes Angeli ejus.

De Hymno Tersancto.

Hymnus Ter sanctus tempore Theodosii junioris, e S. Patriarchae Procli usum obtinuit. Sub hoc Sancto Proclo terrae motus facti sunt magni Costantinopoli per quatuor menses: ita ut timentes Byzantii extra civitatem in loco, qui dicitur Campus, cum Episcopo, precibus, et litaniis ad Deum vociferantes perseverarent. Quadam ergo die fluctuante Terra, et omni plebe intensius exclamant, Domine miserere, circa horam tertiam, omnibus videntibus contingit divina virtute sustolli quemdam adoloscentulum in aere (1), et audiri Divinam vocem admonentem Eum, ut Episcopo, ac Populo nunciaret; ut litanias sic facerent, et dicerent: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis: nihil aliud apponen-

(1) Lectorem fuisse quidam asserunt.

tes. Sanctus autem Proclus, hac suscepta sententia, praecepit Populo sic psallere, et statim terraemotus cessavit.

Porro Beata Pulcheria cum Ejus frater supra modum admirata, sanxit per universum Orbem Terrarum Divinum hunc psallere Hymnum. Et tunc receperunt omnes Ecclesiae per singulos dies hunc canere Deo.

De Hymno Cherubico.

De hoc sic ait S. Germanus, Cherubicus hymnus dum canitur hinc usque ad finem sacrificii, omnes majori studio, ad comparandam animi attentionem hortatur, eum hujus vita deorsum abjecta; utpote qui magnum regem per Communionis mysterium sint recepturi. Iste est Hymnus; » qui » Cherubim, mystice repraesentamus, vivificae Tri- » nitati tersanctum hymnum canimus omnem vi- » talem curam deponamus; ut universorum Regem » ordinibus Angelicis invisibiliter stipatum susce- » pturi.

De magno Introitu.

In Introitu magno hic ordo servatur, et magis si Pontifex sacrum faciat.

In Porta Protheseos numerosi Lectores cereas faces accensas praeferentes. Diaconos egressuros excipiunt, et praecedunt via illa sinuosa (*vid. Goar. in tab. primae figurae templi*) succedunt Diaconi, et primus quidem Eorum, depositum a Pontifice pallium, complicatum manibus defert; sequentes flabella, ultimi pro eorum copia, et numero thura suffumigant. Viam thure, et odoribus fragrantem Diaconus, vel Sacerdos *panem sacrum* in Disco repositum, et opertum velamine gestans capessit; et pone illum Sacerdos alius qui calicem etiam opertum ante pectus defert. Hos sequuntur Sacerdotes Pontifici concelebrantes, quo sollemnius enim est missae officium, eo plures sacerdotes sacra secum facturos Pontifex convocat, qui vel calices vacuos ornatus gratia, vel ut plurimum altaris sacra Instrumenta; Hic lanceam, ille spongiam, alius librum missalem, alter reliquias sacras tenet.

Cantores vero Cherubicum Hymnum decantant, neque dicunt illa verba ut *regem omnium* excepturi, nisi sacrorum donorum latores et Prothesi eggressos videant.

Dum vero vident sacra dona dicunt, Memento mei Domine, in regno tuo. Ideo statim Diaconus, et caeteri exclamant.

Omnium vestrum memoretur Dominus Deus noster in regno suo, etc.

Deinde conversi ad Pontificem sibi dicunt: Ecce Symeon Thessal: hujus Cerimoniae explicationem ducens.

» Venerabilium donorum comitatus, et Ingres-
» sus, cum pompa peragitur, Lectoribus Diaco-
» nis, Sacerdotibus cum cereis, sacrisque vasis,
» praecedentibus, et subseqnentibus. Pallium autem
» Pontificis Crucibus insignitum omnes praecedit.
» Sequuntur Diaconi, qui Angelorum ordines te-
» nent: mox ii qui Sacra dona deferunt, post
» quos reliqui omnes veniunt: quique capitibus
» suis sacrum gestant velum, quod nudam mor-
» tuamque Christi Immaginem exhibet. Hi ergo
» Templum peragrantes, et populi bene precati,
» altare ingrediuntur, Pontifice omnibus benedi-
» cente, qui ideo non alterius orationis, sed re-
» gni coelestis memoriam agit. S. Germanus. Sa-
» crorum Translatio e Prothesi, corporis inquam
» Dominici et sanguinis designationem, et figu-
» ram, et eorum ingressus ad altare, et Cheru-
» bicus Hymnus, a Bethania in Hierusalem Do-
» mini introitum significat. Tunc enim plurima
» Turba, et Hebraeorum pueri tamquam regi, et
» mortis victori sensibiliter Hymnum referebant.

» Spriritualiter autem Angeli, cum Cherubim ter
» sanctum persolvebant Hymnum : ac sceptra et
» romphaas, ut insigna regis proferunt Diaconi:
» Habella vero typum Cherubini.

De Hymnō Angelico.

Hymnus Angelicus est: Gloria in excelsis Deo.

De Hymno Victoriali.

Hic Hymnus est victoria simul, et triumphi felix acclamatio: cum hunc hymnum canere debemus, Sacerdos elevata voce dicit, Victorialem hymnum canentia, clamantia, vociferantia, et dicentia.

Et Diaconus Asteriscum seu Stellam a sacro pane attollit, et in Crucis modo allidit sacro Disco, quo una cum tinnitu Populi attentio excitetur. Hoc est explicatio exclamationis Sacerdotis, ut S. Germanus exponit.

» Qui canunt — Aquila est — Qui reboant: bos;
» Qui clamant Leo, et qui dicunt: homines. Ra-
» tione igitur homo praeditus Cherubicarum vir-
» tutum vice, et quatriformia animalia (significat
» 4 Evangelistas) clamant.) Hic est Hymnos :

» Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sa-
» baoth. Pleni sunt Coeli, et Terra gloria tua.
» Hosanna in excelsis.

DE INSTRUMENTIS CORPORALI, SPONGIA, ALIISQUE CEREMONIIS.

De Lancea.

Jam diximus in Prothesi adhiberi lanceam, quippe quae Sacrum panem percutit, et a Graecis dicitur λογχη. Dum autem Sacerdos panem hac lancea scindit in dextra sygilli parte, sic dicit. Tamquam ovis ad occisionem ductus. In sinistra vero similiter infingens sanctam lanceam dicit: Et ut agnus mitis coram tondente, se obmutescens, sic non aperiet os suum.

De Asterisco.

Jam ubi de Prothesi egimus, inquimus Sacerdotem accipere Asteriscum, ac eum ponere super panem. Significat vero Stellam quae Magis nativitatem Jesu annunciavit, uti deducitur e verbis, quae Sacerdos in ponendo eo super panem dicit: veniens Stella stetit super locum, ubi positus

erat Puer tunc, etc. Hoc Instrumentum a Chrysostomo inventum fuit, ne discocalimma effunderet particulas, quae in Disco reponuntur.

De Habello.

Duo Diaconi post consecrationem, ex utraque parte altaris teneant Habbella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex lenteo, ut parva animalia volitantia abigant, ne in calicem incidant. Hoc Habella Cherubim repraesentat, ideo et Cherubim Immaginem defert Habellum sex alis circum stipatum.

De Spongia.

Spongia idem est quam Purificatorium Latinorum.

De Corporali.

Corporale Latinorum Graece dicitur εἰλητόν linteus, et significat linteum, in quo Corpus Christi e Cruce depositum, et in monumento repositum, et involutum.

De Cochleare.

Cochlear est instar manubrii tenuis, et oblongi: Crucicula in extremitate ornatus, quo Graeci

utuntur communionem distribuere Populo, in utraque specie. Chrysostomus invenisse hoc, dicit Arcudius lib. 3. c. 53.

De aliis Ceremoniis.

Quando Sacerdos consecrat, Diaconi obvelant faciem Orario, ut significent Seraphim in conspectu Domini faciem alis tegentes.

Quando Symbolum recitatur, Diaconi Sacrum velum in capitem Celebrantis expandunt, ut significent omnia de Christo pure confiteri, et deinde ipsum velata facie contemplari. Significat etiam haec cerimonia, ut dicit S. Germanus, aliam rem. En verba ipsius.

Portarum occlusio, et veli desuper expansio sacrorum donorum obductione, noctem illam reor manifestari, qua Discipuli proditio successum habuit, et facta est Jesu ad Caipham abductio, et coram Anna citatio violenta.

Ut quid enim velum illud Aer nuncupatum est, nisi adumbraret tenebris undique tectum aerem noctis illius, de qua sermo institutus est.

FINIS.

Ἀντιλαβοῦ σῶσον Paucis multa: tribus omnia salutis media postulat Ecclesia: Gratiam dico praevenientem, comitantem, subsequentem. Ἀντιλαβοῦ praeveniendo σῶσον comitando, διαφύλαξον, subsequendo, διαφύλαξον ut sanemur: ut vocemur, ut sancti vegetemur, σῶσον ut justificemur, διαφύλαξον ut vegetalis perseverantia detur, ut glorificemur. Quos enim suscipis, et praevenis voces quos salvas, et comitaris: iustificas quos subsequendo conserves, nunquam deserendo a Te repellis.